



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo-//nis Episcopi Hal-//berstattensis De
Chri//stianarum rerum memoria li-//bri decem**

Haimo <Halberstadensis>

Coloniae, 1531

VD16 H 224

De haeresi Sabelliana. Cap. IIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29805

HAYMO DE CHRISTIA.

tiæ medicandos, & Nouatum nihil habentem charitatis fraternæ cum reliquis sequacibus eius ab ecclesia sequestrari. Extrat de his epistola Cornelij ad Fabianum Antiochenum episcopum, & libellus Cypriani magnificentissime editus, quo & lapsos confortat, & contradicentes anathematizat.

DECIVS regnat annis duobus & tribus mensibus. Cap. II.

INterea Decius duobus nec integris annis functus imperio, cum filijs pariter occiditur. Quo tempore fertur etiam obisse Origenem, cum plenus esset dierum, & pene septuagenarius. Tunc Gallus cum Volufiano filio suo obtinet imperium. Cuius cum regnum floreret in initio, & cuncta ei ex sententia cederent, ad exemplum Decij sanctos viros qui pro parte regni eius deo supplicabant, persecutus est, cum quibus & prosperitatem suam & pacem fugauit. Per idẽ tempus quæritio oritur in Africæ partibus, de hæreticis rebaptizandis vel non, sed Cornelio cæterisque occidẽtalibus episcopis manet potius hæc sentẽtia, post abiectionem dogmatis, sola eos manus impositione purgandos.

CORNELIVS sedit annis circiter tribus. Cap. III.

IGitur Cornelio per martyrium consummato, Lucius succedit: quo solis mensibus octo functo apostolatu, Stephanus leuatur in antitistẽ, qui de non rebaptizandis hæreticis similem Cornelio fert sententiam.

Caput. .IIII.

RERVM MEMO. LIB. VII.

EO tempore Dionysius Alexandriae antistes famosus habetur, qui multa & varia scribens, instructionum nobis & doctrinae copiosam materiam dereliquit. Extat huius ad Stephanum Papam epistola, de multis ecclesiasticis differens causis. Extant & eius literae, quas contra Sabellianam haeresim persecutus est, quae suo tempore exorta est, plena blasphemis in deum patrem & dominum nostrum Iesum Christum, negans esse verum filium, nec primogenitum omnis creaturae, simul & spiritus sancti auferens intellectum.

GALLVS imperator regnat duobus annis nec integris. Cap. V.

INterea Gallus imperator moritur, Valeriano succedente cum filio Galieno. Stephanus diem obiit.

XYSTVS episcopus eligitur.

Caput VI.

Valerianus maxime persequitur Christianos, cum tamen primum benignus fuerit & humanus, postmodum vero seductus per quendam magicæ artis magistrum, & principem magorum Aegyptiorum. De huius persecutione Dionysius scribit in diuersis operibus suis, in quibus narrat præclara gesta martyrum, & suam ipsius persecutionem meminit, & cuiusdam Asterij inter sanctos martyres clarissimi viri & urbis Romæ senatoris. Accidit hunc aliquando apud Casaream Philippam famosissimo huic spectaculo adesse, quod ibi certa & solenni die immolabatur victima ad radicem montis, & arte quadam demonis nusquam comparere tolli in caelum agentibus credebatur. Tunc Asterio humanos mise

E